

Monasterium Bonrepos, B. Mariae Virginis, O. Praem.

In *Répertoire des sources imprimées et manuscrites relatives à l'histoire et à la liturgie des monastères de l'Ordre de Prémontré*, edito Bruxellis, 1930, a R. VAN WAELFELGHEM sermo non fit de monasterio Praemonstratensi quodam, Bonrepos dicto. Apud N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. III, Straubing, 1956, pp. 205 s., duo referuntur monasteria Bonrepos, in Hispania sita. Patet autem de fatis horum monasteriorum hucusque non multa nota esse.

De altero vero horum monasteriorum satis fuse recenter egit Ed. CORREDERA in *Analecta Sacra Tarraconensia*, XXXVIII, 1965, pp. 231-280 sub inscriptione *Santuario de Nuestra Senora de Bonrepos*. Hausit fere omnia relata sua Ed. Correreda ex eis quae invenit collecta a canonicis Bellipodiensibus Pascual et Caresmar. (Cfr. J.B. VALVEKENS, *Schola Historica Avellanensis* in *Anal. Praem.*, XL, 1964, pp. 343-347).

Monasterium istud Bonrepos seu Bonaequietis, seu de Bona Requie, situm est in regione de la Morera, Sierra de Montsant, in provincia et dioecesi Tarraconensi (Tarragona), in altitudine 600 m. supra mare. Prius fuerat monasterium duplex, uti aiunt, ad Ordinem Cisterciensem pertinens. Postea in ipso habentur Praemonstratenses. Iuxta Pascual, a. 1253, abbas Bellipodiensis (Bellpuig), ordinis Praemonstratensis, delegatus fuit ad visitationem canonicam instituendam in Bonrepos. Anno 1327, in monasterio illo habentur « fratres et sorores »; anno 1279 regebatur ab abbatisa. Anno 1472 suppressum fuit monasterium.

1. Saeculo undecimo currente, iuxta Caresmar, in loco Bonrepos, celebris imago Beatae Virginis Mariae in summa iam habebatur veneratione. Anno 1168, ex donatione facta a Poncio, priore Bellipodiensi, ecclesia aedificari potuit in loco illo, in quo tunc florebat monasterium quoddam recte ordinatum. Relationes frequentes habebat tunc absque dubio illud monasterium cum abbazia Bellipodiensi, et S. Nicolai de Fondarella; ambae ad Ordinem Praemonstratensem pertinentes. Postea religiosi Praemonstratenses veri cultores erant sanctuarii et imaginis celebris B. Mariae Virginis. Ita celeberrimus historiographus Pascual in illo sanctuario praedicavit. (Corredera, l.c., p. 235, n. 13, notat, a. 1943, in Cervera, editum fuisse : PASCUAL Jaime, *Sermon de Ntra. Sra. SSa. de Bon-repos*).

2. Dom. Guilielmus de Anglosola fuit inter primos magnos benefactores Bellipodii et Bonrepos. Servitium huius loci conceditur

« monachis et clericis » sanctuarii. Prior Bellipodiensis, Poncius, primus ex parte religiosorum documentum signavit. Quales erant hi religiosi? Dicuntur quidem « monachi ». Sed, ita Corredera, significatio huius termini tunc iuridice non constabat. Et designare potest quemcumque religiosum professum iuxta regulam a Sancta Sede approbatam. Scribit nempe (l.c., p. 237) : « Y como la palabra *monje* aplicábase indistintamente a cualquiera que se retiraba a vivir en la soledad y se dedicaba al servicio de Dios, cabe suponer que éstos de Bonrepós eran gente piadosa que, con aprobación del señor obispo, seguían un reglamento reconocido y aprobado por la Sede Apostólica. Bastaba en aquellos tiempos la aprobación del Ordinario para fundar nuevas órdenes religiosas; y esto ocurrió hasta la prohibición correspondiente del papa Inocencio III ».

Plures praeclarae donationes concessae fuerunt monasterio Bonrepos. Ita a comite Urgellensi, Ermengol VII, anno 1179.

Anno 1205 clare constat monasterium Bonrepos arcte coniunctum esse abbatiae Bellipodiensi. Daniel Finestres, citatus a Caresmar, scribit hoc evenisse anno 1169, quin documentum aliquod hoc probans alleget. Documentum probans Bonrepos plene donatum fuisse abbatiae Bellipodiensi ignotum est, quod ad annum 1169 spectat. Pro anno 1205 documentum tale apud Caresmar invenitur; vi cuius Bonrepos apparet esse prioratum a Bellipodio dependentem. Tum fratres, tum sorores Bonrepos inhabitabant. Quae « sorores » videntur non plene adhaesisse vitae religiosae stricte dictae; et esse potius « sorores ad succurrendum », seu religiosae quae necessitatibus aegrotantium in nosocomio monasterio adhaerenti inserviebant.

3. Aliae plures donationes bonorum monasterio fuerunt concessae. Ita die 25 aprilis 1207; 4 novembris 1221; hoc anno prior seu commendator Prioratus erat Fr. Raimundus. Sequitur alia donatio notabilis die 20 martii 1223; prior seu commendator tunc erat Fray Raimundo de Lavança, qui hoc munere iam fungebatur anno 1205.

4. Relate ad finem monasterii Bonrepos documenta desunt. Versus finem saeculi decimi quarti pestis dicta « pestis nigra » maximam stragem attulit in regionibus Hispanicis. Ita ut novi candidati pro vita religiosa ineunda vix accederent. Bellipodium fere religiosis orbatum factum est. Non mirum est Bonrepos in talibus circumstantiis subsistere non potuisse. Dici proinde nequit quo anno Bonrepos, qua verum monasterium praemonstratense, desiisse.

5. Monasterium Bellipodiense iurisdictionem retinuisse in locum et sanctuarium Bonrepos e pluribus deducitur documentis. Documenta

hoc probantia habentur ex anno 1532. Decurrente saeculo decimo octavo, fervente in Hispania bello successionis dicto, religiosi Bellipodienses fugerunt in Bonrepos; in Bonrepos citatur tunc prior Robertus Rocajulla : anno scilicet 1707. Anno 1715 sermo fit de priore Bonrepos, Candido Corominas, qui assistere non potuit Capitulo religiosorum Bellipodiensium. Anno 1725 instituitur visitatio canonica facta ab abbate Cisterciensi de Poblet, Balthasare Sayol, qui etiam Bonrepos adit, ubi citatur prior, Petrus Iohannes Bover « el mas inutil de ma comunidad ». Die 18 novembris 1792, abbas Bellipodiensis, Hiacinthus Marti, varia ordinat in Bonrepos. Scribit Pascual in suo opere historico manuscripto Bellipodiensis monasterii : « Tiene (abbas Bellipodiensis) jurisdicción episcopal especial sobre Bonrepos y la feligresía y pueblo de Montodo, asi como sobro sus vecinos. Ejerce jurisdicción criminal y civil, el mero y mixto imperio por medio de nueve bailes o alcaldes en loc pueblos y términos del abadiado y baronía » (1. c., p. 259).

Anno 1814, abbas Bellipodiensis, Marti, iniungit novo priori de Bonrepos, Ignatio Ribot, ut domum de Bonrepos, ad ruinam redactam, restitueret. Qui Ribot nihil aliud agere potuit quam difficultates summas multiplicis generis evincere. Idem Ribot, factus postea abbas Bellipodiensis, anno 1829, Bonrepos adivit canonice visitaturus. Michael Camarasa tunc prior erat in Bonrepos. Abbas Roca, anno 1831, priorem in Bonrepos noluit designare. Ultimus tandem abbas Bellipodiensis, Raimundus Sabater, die 8 aprilis, Dominicum Marcet priorem de Bonrepos constituit. Religiosi Bellipodienses cum, currente 1835 e suo monasterio expellerentur, ad Bonrepos confugerunt. Hac vero vice reditus ad Bellipodium non amplius ipsis concessum fuit. Ita ut finis canoniae revera advenerit.

J.B. VALVEKENS, O. Praem.

Una fecha historica para el monasterio de S. Salvador de Urdax.

Ya no existe el monasterio de Premonstratenses de San Salvador de Udash, importante en la vida religiosa del antiguo Reino de Navarra. Su situación en lamisma frontera y en una de las rutas clásicas de invasión, le hicieron sufrir la ocupación de los franceses más de una vez. Ocurre esto cuando la conquista de Navarra por Fernando el